

**Zeitschrift:** Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie  
**Band:** 4 (1890)

**Artikel:** Analysis actus spei  
**Autor:** Waffelaert, G.J.  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-738285>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 02.04.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**



## ANALYSIS ACTUS SPEI.

AUCTORE DR. WAFFELAERT PROF. SEMINARII  
BRUGENSIS.

---

### *Praevia.*

**R**ei momentum. — Hanc analysim actus spei, potissimum theologicae, scientifice instituendam, non injucundam nec fructu vacuum lectori futuram speramus. Multiplex imo, nec spernendum commodum ex ea studiosus lector percipiet. Et primum quidem ex eo orietur, quod intueri oportebit atque scrutari intima quaedam animi, facultates nempe, affectiones et actus varios; quod tum in re psychologica, tum in ordine ad rem moralem ac practicam, maximi sane momenti est. Secunda utilitas erit, quod analysim instituendo actuum, discamus recte indagare species morales eorundem; quod rursus theologo praesertim morali valde necessarium est. Tertium erit commodum, quod objectum materiale et formale ac motivum virtutum rite definire doceamur, qua in re totus fere versatur in theologia de virtutibus sermo. Et in specie quidem, nullam putamus aptiorem huic rei explicandae quam ipsam virtutem spei theologicae, ut mox experietur lector, ita ut haec tractatio lucem offundat tum virtutibus potissimum theologicis reliquis, tum aliis universim omnibus. Neque hoc praetermittendum est, quod, rite instituta analysi spei theologicae, jam aditus praecluditur omnibus pene de eadem virtute erroribus, falsisque notionibus, et praeoccupantur difficultates. Tandem ultimum documentum, quasi extrinsecum, existimamus ex scripto hoc nostro eliciendum, scilicet

non esse temere ab Antiquorum, nominatim Angelici Doctoris, doctrina recedendum, in iis praecipue quae ad principia et fundamenta rei dogmaticae et moralis spectant. Nolumus sane asserere nullas hodieum novas occurrere principiorum applicationes, non esse novis erroribus nova aliquando argumenta opponenda, aut in scientiis, theologiae ancillis, noviter detecta esse spernenda: at, in iis quae proprie philosophica sunt et praesertim in theologia, Antiquos facile principes esse adhuc persuasum habemus.

Ordo dicendi. — Cum utilissimum esse soleat, et lectori acceptum, ut ab initio totus rei processus generatim perspiciatur, breviter ordinem dicendi indicamus. Inter varias acceptiones vocis *spes*, duae sunt in sensu proprio, sedulo distinguendae, quae nobis heic potissimum attendendae sunt: altera, qua dicitur *spes affectio animae*, seu *passio appetitus inferioris*;<sup>1)</sup> altera, qua significantur *actus et habitus voluntatis*,<sup>2)</sup> tum naturales, id est, ordinis naturalis, tum supernaturales seu theologicæ, id est, ordinis divini. Unde triplici quasi gradu ad *spem theologicam* ascendemus: primo considerantes *spem*, prout est *passio*; secundo, prout est *actus et habitus voluntatis*, abstrahendo ab ordine supernaturali; tertio, prout est *spes theologica seu divina*.

Nec sine optima ratione ita agimus. Quum enim omnia creata ab eodem fonte divinae Omnipotentiae manarint, et juxta divinum exemplar constituta, hujus perfectiones propius aut remotius adumbrent, iisdemque plus minusve participant, hinc etiam fit quod, inter ipsa creata, inferiora pro modulo suo su-

---

<sup>1)</sup> Appetitus inferior in actum reductus, defectu libertatis magis patitur quam agat, et ideo actus ejus potius dicitur affectio seu passio quam actio.

<sup>2)</sup> Itaque nomen *spei*, sicut et nomen amoris, sunt communia tum passioni, tum actui et habitui voluntatis. Quod non potest contingere quoad alios habitus ac virtutes. Nam fides, sicut et prudentia, sunt in intellectu; passiones autem in appetitu. Reliquae vero omnes virtutes morales constituunt medium in passionibus, seu eas moderantur, ergo non possunt habere nomen commune cum illis. Quod quidem optime explicat S. Thomas, in QQ. disp., Q. unica de spe, art. 1, ad 6<sup>m</sup>.

periora referant et imitentur, sicut vita vegetativa animalem, animalis spiritualem, quamquam toto coelo distant; et spiritus ipsius Dei adumbratio, imo imago existit, quamquam perfectio divina diversae rationis est et in infinitum vincens quidquid creatum est aut creabile. Pari modo, in ipso homine qui, utpote *μικροκοσμος*, totam quasi in se creaturam continet, vires inferiores adumbrant et imitantur superiores, appetitus inferior superiorem, id est, voluntatem, et ita passio spei actui spei declarando prodest; praeterea, cum eidem animae inhaereat uterque appetitus, inferior et superior, non sine mutuo influxu agunt, et superior, rationis consors, imperium non quidem despoticum sed politicum exercet in inferiorem: sic passio vel adiumento vel impedimento esse potest voluntati agenti. Rursum natura supponitur gratiae, ab eadem sananda, perficienda, adjuvanda, ad ordinem divinum extollenda: unde, explicata primum spe voluntatis secundum naturam, oportet ad spem theologicam ascendere, quae secundum utrumque elementum, subjectivum et objectivum, supernaturalis est et divina, ut porro suo loco est explanandum.

Erit igitur haec nostra tractatio tripartita: et primo aget de passione spei; secundo, de actu et habitu spei in voluntate, secundum naturam; tertio, de spe theologica.

## I.

### *De passione spei.*

De passione spei non ex professo dicimus, sed tantum quantum necesse est aut utile ad sternendam viam demonstrationi principalis intenti.

Et primo quidem, breviter in unum contracta revocamus in memoriam, quae de passionibus in genere praeclare disputat S. Thomas.<sup>1)</sup>

Appetitus inferior seu sensitivus est duplex: alter est concupiscibilis, cujus objectum est bonum (sensibile, particulare)

<sup>1)</sup> In 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, qq. 22—25. — De singulis vero in specie passionibus agit qq. 26—48, inter quas q. 40 est de passione spei.

absolute; alter est irascibilis, cujus objectum est bonum (sensibile, particulare) arduum seu praecellens, in quantum hoc est quodammodo elevatum supra facilem potestatem animalis, ut loquitur S. Thomas,<sup>1)</sup> seu, ut ait alio loco,<sup>2)</sup> altitudinem propriam habens supra impedimenta delectationis. Subservit ergo hic appetitus priori, tollendo impedimenta quibus ille prohibetur tendere in suum objectum; et eo ipso intelligitur a priore distinctus, quod objectum suum, utpote bonum difficile, habet aliquid repugnans concupiscibili.

In appetitu concupiscibili sunt tres passiones circa bonum, quod est hujus appetitus objectum, adipiscendum vel jam habitum; et tres sunt similiter circa malum oppositum. Hae tres a prioribus eo ipso distinctae intelliguntur, quod diversum objectum habeant: diversificantur enim passiones et actus ejusdem potentiae per objecta, nam concupiscere, velle, etc., non est diversum a concupiscere, velle, etc., nisi quia diversa vult, concupiscit, etc. Tres passiones circa bonum sunt amor, desiderium seu concupiscentia, et gaudium seu delectatio; tres circa malum sunt odium, fuga seu abominatio, et tristitia seu dolor. Singulae rursus trium priorum, sicut et singulae trium posteriorum, ab invicem distinctae probantur, quia, licet objectum materiale tribus sit commune, illud tamen attingunt sub diverso respectu, seu prout affectum diversis formalitatibus, quarum in singulis ultima, ultimo determinans materiam ut sit talis passionis objectum proprium seu formale, est motivum proprium talis passionis, dans ei suam propriam formam seu speciem. Ita amor est praedicti boni, praecise ut est amanti bonum; desiderium est ejusdem boni futuri; gaudium seu delectatio est ejusdem boni possessi. Et similiter dic de tribus passionibus quae sunt circa malum. Caeterum ulterior explicatio dabitur in specie circa passionem spei.

Appetitus irascibilis est pariter subjectum plurium passionum, quae distinguuntur a passionibus appetitus concupiscibilis.

<sup>1)</sup> 1a 2ae, q. 23, art. 1, in corp.

<sup>2)</sup> Inter qq. disp., q. unica de spe, art. 2, in corp.

vel ex eo quod eliciantur a potentia diversa,<sup>1)</sup> et praeterea tum ab iisdem illis, tum inter se distinguuntur sicut et illae, ratione objecti formalis et motivi diversi. Duae sunt circa bonum, quod proprium objectum est appetitus irascibilis, nempe bonum arduum: spes, quae est accessus ad idem bonum quod apprehenditur ut possibile; desperatio, quae est recessus a bono aestimato ut impossibili; duae sunt circa malum oppositum fugiendum: audacia, si apprehendatur malum ut possibile superari; timor, si ut impossibile. Quando autem jam malum adest, oritur ira, si ultio apprehendatur ut possibilis; si vero ut impossibilis, quidam ponunt oriri dejectionem, sed bene notat S. Thomas<sup>2)</sup> passionem irae non habere contrariam, sed tantummodo oppositum negative vel privative, quod est cessare ab ira. Et dejectio quidem non exit terminos tristitiae, quae est passio concupiscibilis.

Hic jam locus est, antequam ad passionem spei in specie declarandam accedamus, verbum addendi de ordine passionum inter se, quod ex dictis facile intelligetur et est plenum doctrina. Quemadmodum vidimus appetitum irascibilem, distinctum a concupiscibili, huic subordinari et inservire, ita etiam passiones irascibilis subordinantur passionibus concupiscibilis: omnes enim passiones appetitus irascibilis principium habent a passionibus concupiscibilis quae pertinent ad motum, et terminantur in illis quae pertinent ad quietem, ita ut mediae sint inter has et illas: sic spes necessario praevia habet amorem et desiderium, terminatur autem in delectatione. Ordine ergo consecutionis seu executionis primae sunt passiones concupiscibilis pertinentes ad motum, sequuntur passiones irascibilis, quae omnes ad motum pertinent, quia id in quo quiescitur jam rationem ardui non habet, et tandem ultimae sunt passiones concupiscibilis pertinentes ad quietem. De ordine vero intentionis hoc non valet, cum quies sit finis motus, finis autem in intentionis ordine rationem principii habeat.

1) Vid. S. Thomam, 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 23, art. 1, ad 3<sup>m</sup>.

2) 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 23, art. 3, in corp.

Si quaeratur de ordine inter passiones circa bonum et eisdem respondententes circa malum, illae natura priores sunt his, quoniam prius est natura moveri in bonum, quam refugere aut impugnare malum oppositum, quod ideo praecise fit quia praecedit motus in oppositum bonum: sic spes est natura prior timore et audacia.

Inter ipsas passiones concupiscibilis, prima ordine executionis est amor, quae ergo absolute prima omnium passio est, principium omnis motus, sicut absolute ultimae sunt delectatio et tristitia in hoc ordine consecutionis. In ordine intentionis prima absolute est delectatio. Inter passiones vero irascibilis prima est spes in executione, et prior quidem illis quae sunt circa malum, ut ex supra dictis manifestum est, prior etiam desperatione, „quia spes est motus in bonum secundum rationem boni, quod de sua ratione est attractivum, et ideo est motus in bonum per se; desperatio autem est recessus a bono, qui non competit bono secundum quod est bonum, sed secundum quid aliud, unde est quasi per accidens“.<sup>1)</sup> Eadem ratione prior est timor quam audacia, quia timor est recessus a malo.

„Et si ordinem omnium passionum secundum viam generationis scire velimus, primo occurrunt amor et odium; secundo, desiderium et fuga; tertio spes et desperatio; quarto, timor et audacia; quinto, ira; sexto et ultimo, gaudium et tristitia, quae consequuntur ad omnes passiones; . . . ita tamen quod amor prior sit odio, et desiderium fuga, et spes desperatione, et timor audacia, et gaudium quam tristitia.“<sup>2)</sup>

Ex his habemus quoad spem in particulari: 1<sup>o</sup> spem esse primam ordine generationis passionem in irascibili appetitu; 2<sup>o</sup> eam necessario eodem ordine praevia habere amorem et desiderium; quod quidem etiam ex parte objecti patet: quia enim objectum concupiscibilis est bonum absolute, prius naturaliter est quam objectum irascibilis, sicut commune proprio; addit nempe objectum irascibilis supra objectum concupiscibilis ardui-

<sup>1)</sup> Ita S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 25, art. 3, in corp.

<sup>2)</sup> S. Thomas, ibid.

tatem, et sic spes addit supra desiderium quemdam conatum et quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum.<sup>1)</sup>

Hisce praemissis de passionibus in genere, quae de spe in particulari sunt dicenda, fere non sunt nisi corollaria.<sup>2)</sup> Et primo quidem, ut vidimus, passiones distinguuntur objectis suis formalibus, quorum praecise ultima formalitas, ultimo determinans materiam, est motivum proprium talis passionis, siquidem ultimum determinans in esse est primum movens in intentione. Igitur motivum hoc dat speciem et est distinctivum hujus passionis ab omni alia. Oportet itaque primo considerare elementum objectivum in passione spei: nempe materiam ejus seu rem speratam, id est, objectum materiale; cum omnibus conditionibus seu formalitatibus illud determinantibus ad hoc ut sit objectum spei, non alius passionis, qui quidem sunt respectus sub quibus in illud tendit spes, hoc autem dicitur objectum formale. Et tandem inter has formalitates consideranda est in specie ultima, ultimo distinctiva passionis spei, quod est motivum formale, et a quibusdam dicitur objectum formale quo, contradistinctum ab objecto formali quod, quod nos objectum formale simpliciter diximus.

Totum hoc elementum objectivum brevibus, at aptissimis verbis complectitur Angelicus Doctor: „Dicendum, ait, quod species passionis ex objecto consideratur; circa objectum autem spei quatuor conditiones attenduntur. Primo quidem, quod sit bonum: non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono; et per hoc differt spes a timore, qui est de malo. Secundo, ut sit futurum: non enim spes est de praesenti jam habito; et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono praesenti. Tertio requiritur quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat; et per hoc differt spes a desiderio seu cupiditate, quae est de bono futuro absolute: unde

<sup>1)</sup> Cf. S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 25, art. 1 in corp., et ad 1<sup>m</sup>.

<sup>2)</sup> Qui plura de passione spei, quam intentum nostrum stricte postulat, doceri cupit, adeat S. Thomam, 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 40.



pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Quarto, quod illud arduum sit possibile adipisci: non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci non potest, et secundum hoc differt spes a desperatione.“<sup>1)</sup>

Haec quidem verba commentario non indigent et doctrinam integram de elemento objectivo passionis spei exhibent. Liceat tamen, ipsis rursus verbis non minus perspicuis ejusdem S. Doctoris, addere quomodo se habeat spes ad amorem, quod postea disputandis de spe praesertim theologica haud inutile erit.

„Dicendum quod spes duo respicere potest. Respicit enim sicut objectum bonum speratum; sed quia bonum speratum est arduum possibile, aliquando autem fit aliquid arduum possibile nobis, non per nos, sed per alios: ideo spes etiam respicit illud, per quod fit nobis aliquid possibile. In quantum igitur spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur: non enim est spes nisi de bono desiderato et amato; in quantum vero spes respicit illum, per quem fit aliquid nobis possibile, sic amor causatur ex spe, et non e converso. Ex hoc enim quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare; ex hoc autem quod amamus aliquem, non speramus de eo nisi per accidens, in quantum scilicet credimus nos reamari ab ipso; unde amari ab aliquo facit nos sperare de eo, sed amor ejus causatur ex spe, quam de eo habemus.“<sup>2)</sup>

Quod tandem elementum subjectivum spei attinet, et inde definitionem passionis spei, quae ex utroque elemento conjuncto constat, non possumus meliora invenire quam ea quae habet idem S. Thomas: „Cum spes importet extensionem quamdam appetitus in bonum, manifeste pertinet ad appetitivam virtutem: motus enim ad res pertinet proprie ad appetitum; actio vero virtutis cognitivae perficitur non secundum motum cognoscentis ad res, sed potius secundum quod res cognitae sunt in cognoscente. Sed quia vis cognitiva movet appetitivam, reprae-

1) 1a 2ae, q. 40, art. 1, in corp.

2) 1a 2ae, q. 40, art. 7, in corp.; et cf. ibid., a. 2, ad 1m.

sentando ei suum objectum, secundum diversas rationes objecti apprehensi subsequuntur diversi motus in vi appetitiva. Alius enim motus sequitur in appetitu ex apprehensione boni, et alius ex apprehensione mali, et similiter alius motus ex apprehensione praesentis et futuri, absoluti et ardui, possibilis et impossibilis: et secundum hoc spes est motus appetitivae virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci, scilicet extensio appetitus in hujusmodi bonum.“<sup>1)</sup>)

Duo heic notari merentur: 1<sup>o</sup> definitionem, quam dat in conclusione hujus citati articuli S. Thomas, aptari tum passioni spei, tum actui voluntatis, imo et spei theologicae, dummodo discrimen fiat inter appetitivam virtutem inferiorem, et superiorem, hancque sibi relictam vel elevatam; item inter apprehensionem sensitivam et intellectivam, eamque solius rationis naturalis, vel ejusdem elevatae per fidem; et rursus attendatur diversitas objectorum, boni sensibilis et rationalis, hujusque proportionati naturae, vel supra naturam et auxilio solius Dei assequendi.

2<sup>o</sup>. In eodem cit. articulo, attende insinuari praecipuam aliquam spei qualitatem, certitudinem videlicet seu firmitatem et fiduciam spei, simulque rationem ejusdem seu originem ex certitudine cognitionis objecti spei; quae quidem rursus, pro diversa certitudine cognitionis et cognitionis natura, sensitivae, intellectivae, et fidei, aptantur passioni spei, vel spei in voluntate, vel et theologicae. Quod quia erit infra explicandum, nunc non immoramur, notentur interim hujus art. dicta ad 2<sup>m</sup> et 3<sup>m</sup>.

Ita finem imponimus huic primo gradui in analysi spei, qui est de passione spei.

Quod autem de habitu spei in appetitu irascibili sermo esse nequeat, manifestum est: potentiae enim sensitivae, prout ex instinctu naturae operantur, non sunt capaces habitibus; in quantum vero appetitus inferior ex imperio rationis operatur, instruitur quidem habitibus et virtutibus, quae medium constituunt in passionibus ejus, sed praecise ideo non possunt habere nomen commune cum passionibus illi habitus moderantes easdem. Igitur in

<sup>1)</sup> Ibid., art. 2, in corp.

irascibili sunt habitus et virtutes, nempe fortitudo cum partibus suis integralibus et virtutibus eidem annexis, quae regulant passiones, spes, et audacias ac timores, etc. At, habitus ac virtus spei est tantummodo in voluntate seu appetitu superiori, et non moderatur passiones appetitus inferioris, nisi mediante fortitudine ejusque partibus, ut videre est in tractatu de his virtutibus. Haec porro suo loco ulterius declarabuntur, agendo de habitu spei.

Objici posset S. Bonaventura, qui habitum ac virtutem spei evidenter ponit in irascibili, dicens: „Unde, quemadmodum in patria tres erunt dotes secundum tres animae vires, quarum una reformabit et consummabit rationalem, videlicet ipsa visio, alia concupiscibilem, videlicet dilectio, tertia irascibilem, videlicet ipsa perfecta intentio (alias et melius: tentio): sic et in via necesse est ponere circa virtutes theologicas, quibus dotes habent correspondere.“<sup>1)</sup> Sed manifestum est ex contextu Doctorem Seraphicum non loqui de appetitu inferiori, sed de potentiis superioribus, ratione et voluntate, quam dipescit tamen, ad similitudinem appetitus inferioris, in duplicem partem, ratione actuum et non quasi sint potentiae duae distinctae. Certe nequaquam vult ponere dilectionem charitatis in appetitu inferiori concupiscibili. Sufficiat complere textum oppositum, ex verbis immediate praecedentibus et sequentibus. Ita loquitur in his quae immediate praecedunt: „Sumi etiam potest ratio ex parte subjecti: quia cum anima secundum superiorem faciem reformari habeat per virtutes theologicas, et spes sit una de virtutibus faciens ad reformationem imaginis et perfectionem animae secundum partem superiorem, necesse est esse spem virtutem theologiam. Unde etc.“ Et post textum objectum, post pauca verba sequitur: „Theologicae enim virtutes Deum habent pro objecto, et superiorem partem animae pro subjecto.“

<sup>1)</sup> In 3 Sent., dist. 26, a. 1, q. 3.

